



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1634**

129. Seges: Ex eodem D. Ambrosio, l. 3. Hexam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

## R V P E S.

Curtius lib. 6. &amp; 8.

Descriptio CXXVII.

**P**rærupta erat rupes, quæ spectat Occidentem, eadem, quæ vergit ad Orientem, leniore submissa fastigio: multis arboribus obstita. Perennem habet fontem, ex quo largæ aquæ manant. Circuitus eius nonaginta duo stadia comprehendit. Petra, non ut pleræque modicis, ac mollibus cliuis, in sublimi fastigium crescit, sed in metæ maximæ modum erecta est, cuius ima spatiosiora sunt. Altiora in altius coeunt, summa in acutum cacumen exurgunt. Radices eius Indus amnis subito præaltus, utrimque asperis ripis. Ab altera parte voragine, eluuiosæque præruptæ sunt, nec alia expurgandi patebat via, quam ut replerentur.

## V I T I S.

Ex D. Ambrosio, Hexam. lib. 3.  
cap. 12.

Descriptio CXXVIII.

**P**rimum omnium, nihil gratius florentis odore vitis: siquidem de flore earum succus expressus, poculi genus conficit, quod & voluptati, & saluti sit. Deinde, quis non miretur, ex acino vinaceo, vitem usque in arboris summum cacumen prorumpere, quam, velut quodam amplexu fouet, & quibusdam brachiis ligat, & circumdat lacertis, pampinis vestit, fertis vuarum coronat? Quæ ad imitationem vitæ nostræ primum viuunt, desigunt radicem; Deinde, quia natura flexibilis, & caduca est, clauiculis, quasi manibus quibusdam, quicquid apprehenderit, stringit; hisque se erigit, & attollit.

## S E G E S.

Ex eodem D. Ambrosio, lib. 3.  
Hexam. c. 8.

**S**uscipit igitur granum tritici putris gleba, & spatium cohibet occasio, ac velut materno terra gremio fouet, ac comprimit. Inde, cum se granum illud resoluerit, herbam germinat: grata ipsa iam species herbescentis viriditatis, quæ statim genus satum similitudine sui prodit, ut in ipso sine stirpis exordio, cuius generis herba sit, cognoscas; atque in herbis fructus appareat, paulatimque adolescit in foenum, culmoque pubescens erigitur, & assurgit. At ubi se geniculata iam spica sustulerit, vaginæ quædam futuræ frugis parantur, in quibus granum formatur interius, ne tenetæ eius primordia, aut frigus lædat, aut solis æstus exurat, aut ventorum inclementia, vel imbrum vis læua discutiat. Succedunt quidam ordines spicæ, mirabili arte formati, vel ad speciem grati, vel ad tutamen nexu quodam inter se naturalis colligationis adstricti, quam providentia diuina formauit. Et ne frugis numerosioris pondere, velut quædam cœdat fultura culmorum, vaginæ quibusdam ipse culmus includitur, ut geminatis viribus frugem possit multiplicem sustinere, nec impar arbor onere curuetur in terram. Tum supra ipsam spicam vallum struitur aristarum, ut quasi quædam in arce prætendat, ne autem minorum moribus suis exuatur fructibus, aut vestigiis proteatur.

Compara qua habet Cicero, lib. de Senectute.

## PALMA INDICA.

Maffæus, lib. 7.

Descriptio CXXX.

**M**ltis rebus ad victum necessariis eareat incolæ, sed pro his omnibus vna est palma; sic eam appellant, Iudaicis, & Africanis careotas ferentibus longè præstantior: quippe non proceritate solum, & pulchritudine excessit; verum etiam tota profus in vsu est, ita multiplici, ut vulgo, si quem frugis, & indurum laudibus efferre volunt, palma vtiliorem appellent. Tengam Nartemæ Indicorum, seu nucem Indicam Lusitani